



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Collegiis Canonicorvm Per Germaniam, Belgivm,  
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani  
Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt IV. B. Mariæ Tvnsgrense Collegium in diocesi Leodiensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**

*S. Petro* dicatum, item *Diuæ Virginis* ædem eximiam, & *S. Simeonis* peruetuistam Basilicam, quæ totidem collegia sunt Canonicorum. Sunt insuper in vrbe, præter D. Martini Abbatiam Benedictinorum, quatuor Ordinum Mendicantium, Augustinensium, Carmelitarum, Prædicatorum, & Franciscanorū conuentus: Adhæc Teutonicorum & Ioannitarum Aedes amplissimæ cū Basilicis, itemq; collegium Societatis Iesu. Muliebris verò sexus, intra & extra urbem, monasteria sunt varia, in quibus eminet, quod *Horreum* vulgò nuncupatur. In suburbano sunt tres Abbatiae præclaræ, videlicet *Sancti Maximini*, *Sancti Matthei*, & *S. Mariæ ad Martyres*, vbi olim Capitolium fuit: item Claustrum amplissimum Carthusianorum, & insignis Ecclesia collegiata *S. Paulini*.

## CAPUT IV.

B. MARIAE TUNGRENSE COLLE-  
legium in diœcesi Leodiensi.

**T**Vngri veteres sunt Galliæ Belgicæ populi, Tacito, alijsque scriptoribus antiquis noti, quorum hodieque opidum vulgò *Tongeren* nuncupatum, exstat tertio à Leodio milliari. In hoc opido sedes fuit olim Episcopalis, quæ postea Traiecti ad Mosā, ac demum *Leodij* fuit collocata, vbi hodieq; perstat.

Tungren-

Tungrense porrò collegium auspicia sua refert ad *S. Maternum*, *B. Petri Apostoli discipulum*, *Coloniensium*, *Treuerensium*, & *Tungrensum Apostolum*, primumque Episcopum.

## CAPUT V.

*S. MARIAE COLLEGIVM CATHEDRALE in urbe Parisiensi.*

**R**eligionis Christianæ primordia accepta ferunt Parisienses *S. Dionysio*, primo illius urbis Episcopo, quem et si plerique contendant fuisse Dionysium Areopagitam, ego tamen malim subscribere sententiae Gregorij Turonensis, qui dicit Dionysium primum Episcopum Parisensem venisse in Galliam Decio & Grato consulibus; hoc est, anno salutis ducentesimo quinquagesimo primo, iuxta calculum vulgarem.

Quis prima iecerit fundamenta Templi & Collegij Parisiensis, in tanta rerum vetustate difficile fuerit affirmare. Ex monumentis illius Ecclesiae constat per *Hercaudum XLII.* Episcopū Parisensem temporibus Caroli Magni amplissimam Deiparæ Basilicam, (quæ cum admiratione à ciuibus & exteris hodiè spectatur) primum ædificari cœptam, deinde à *Mauritio LXX.* Episcopo Parisensi temporibus Philippi Augusti, Galliæ Regis auctam, ac demum ab *Odone Mauritiij* successore anno 1222. absolutam fuisse.

S. GER-